sed habebit lumen vitae, finita tota rixa, immortalitas consequatur, quando novissima inimica destruetur mors, et quando factum erit: oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Quo ut veniamus, quod tunc erit, hic nunc sequamur in spe eum qui dixit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitae.

EXPLICIT XXXI INCIPIT XXXII

AB EO QUOD DICTUM EST: DIXERUNT ERGO FARISSEI: TU DE TE IPSO TESTIMONIUM PERHIBES, TESTIMONIUM TUUM NON EST VERUM, USQUE AD ID QUOD DICTUM EST: VERUM EST TESTIMONIUM MEUM, QUIA SCIO UNDE VENI ET QUO VADO

DE VERBIS DOMINI IHU XPI UBI AIT: Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitae. Lectionis hesterno die quod fuerat, diu disputatum esse meministis; et si adhuc vellimus de illo lumine disputare, diu loqui possimus. Nam non possimus explicare compendio. Itaque fratres mei, sequamur Christum lumen mundi, ne ambulemus in tenebris; tenebrae metuendae sunt morum, non oculorum; et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album et nigrum, sed iustum et iniustum. Cum ergo haec dixisset dominus noster Ihesus Christus, responderunt Iudaei: Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum. Antequam veniret dominus Ihesus Christus, multas ante lucernas accendit et misit. Ex his erat et iam Iohannes baptista. Cui tam magnum ipsum lumen quod est dominus Christus perhibuit testimonium, quale nulli hominum; dixit enim: In natis mulierum non surrexit maior Iohanne baptista. Hic autem quo nemo erat maior in natis mulierum dixit de domino Ihesu Christo: Ego quidem baptizo vos in aqua, qui autem post me venit fortior me est, cuius non sum dignus calciamentum solvere. Videte quemadmodum se lucerna diei submittat. Lucernam vero ipsum Iohannem fuisse dominus ipse testatur: Ille, inquit, erat lucerna ardens et lucens, et vos voluistis ad horam exultare in lumine eius. Quando le[illegible] dixerunt Iudei domino: Dic nobis in qua potestate ista facis, sciens dominus quia Iohannem baptistam pro magno haberent, et quod ipse

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0083